



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. I. De prima Excommunicatione in Bulla Cœnæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

## Q U A E S T I O V.

## De nonnullis Excommunicationibus in particulari.

**D**escendimus nunc ad excommunicationes majores in particulari; Quoniam autem de iis abunde agunt Summistæ, agemus dumtaxat de prima ex iis, quæ in Bulla Cœnæ reservantur; deinde perstringemus reliquas brevissime. Agemus pariter de Excommunicatione ob percussione Clerici; ac de alia ob duellum, quæ uberem pro reliquis doctrinam subministrabunt: De excommunicatione autem, quæ fertur contra non denunciante, quæ pariter obvia est, abunde diximus quæst. 3. art. 5.

## ARTICULUS I.

## De Prima Excommunicatione in Bulla Cœnæ.

- I. Ad quinque capita reducuntur viginti illa excommunicationes, quæ in Bulla Cœnæ feruntur, videlicet Ad fidem, ad Ecclesiam, ad Ecclesia hierarchiam, ad Sedem Apostolicam, ad Ecclesia caput; Verius illa dicuntur lata ab homine, quam a jure.
- II. Prima Excommunicatio tangit decem genera Personarum in ordine ad hæreticos, & ad hæreticorum libros.
- III. Hæresis fert tum errorem in intellectu, tum etiam pertinaciam in voluntate. Etiam dubius in fide est Infidelis.
- IV. Non incurritur hæc censura per hæresim mere internam, sed per externam, etiamsi occultissimam, & etiamsi verbis ambiguis hæresim exprimeret.
- V. Num possint Episcopi ab hæresi occulta absolvere?
- VI. Schismatici in quo differant ab hæreticis?
- VII. Credentes hæreticorum dicuntur, qui illorum hæreses credunt; Re-

ceptatores, qui qua tales receptant, & occultant: Fautores, qui commissione, vel omissione in causa hæresis iis favent; Defensores, qui qua tales illos inveniunt, etiamsi defendant ex motivo amicitia.

VIII. In Bulla Cœnæ solum excommunicantur legentes, retinentes, imprimentes, ac defendentes libros Hæreticorum, hæresim continentes, vel de Religione tractantes. Relate ad alios libros Hæreticorum, aut ob hæresis suspicionem damnatos, excommunicatio quidem incurritur, sed non reservata; Qui vero alios libros prohibitos legit, peccat graviter, sed nullam censuram incurrit.

IX. Quid si quis legat vetitos libros, quin illos intelligat? Quid si paginam dumtaxat eorum legat? Quid si quis audiat legentem illos? Quid si quis non tradat tales libros Inquisitoribus, sed eos comburat?

X. Quinam possit facultatem dare legendi libros vetitos?

I. **I**N Bulla Cœnæ viginti excommunicationes latæ sententiæ fulminantur, quæ, ut observat Filliuc, ad quinque capita reducuntur. Primo ad fidem catholicam; Secundo ad Ecclesiam christianam; Tertio ad Eccle-

Ecclesiasticam hierarchiam; Quarto ad Sedem Apostolicam; Quinto ad Ecclesiæ Caput. Communiter Doctores docent, Bullam hanc incepisse tempore Martin. V., quando viguerunt hereses Boemorum anno 1420. Ejus meminit Sixtus IV. in Extravag. *Etsi Dominici gregis*, & illam auxit Leo X. contra Lutherum, necnon Paul. III., & alii. Dubitatur, Num ejus excommunicationes dicendæ sint ab homine, an a jure? Communius censent cum Paludan. contra Sylvest. esse ab homine; Tum quia idcirco Sede vacante perdurant, quia jussu Pii V. declaratur in ipsa Bulla eas durare quousque alii hujusmodi processus, seu alia Bulla promulgatur; Sicut autem ante Pium V. mortuo Pontifice cessabant, ita nunc statim cessarent, nisi id declararetur: Tum etiam quia illæ statim cessant, quando alia Bulla promulgatur, etiamsi non revocentur.

II. Prima itaque excommunicatio fulminatur contra decem genera Personarum, videlicet contra Hæreticos, Schismaticos, Hæreticorum credentes, Fautores, Receptatores, Defensores, Hæreticorum libros hæresim continentes, vel de religione tractantes quomodolibet scienter legentes, Domi retinentes, Imprintentes, ac Defendentes quocumque ingenio, colore, causa, publice, vel occulte.

III. Quæres autem primo; Quinam dicatur Hæreticus?

Respondeo cum Bellarm., aliisque communiter hæreticum esse, qui errorem aliquem habet contra fidem cum pertinacia; necnon qui cum pertinacia dubitat de aliquo articulo fidei. Nam *ex cap. 1. de hæret.*, Dubius in fide est infidelis. Dicitur autem pertinax, qui aut aliquid tenet, aut de aliquo dubitat contra religionem, ac fidem catholicam animo deliberato, seu ut explicat Busemb. postquam contrarium est sufficienter pro-

positum, & scit teneri ab universali Ecclesia, cui non vult suum iudicium submittere; tunc enim putat, iudicium Ecclesiæ non esse sufficiens fundamentum credendi, in quo consistit vera pertinacia.

Norandum tamen primo, Apostatam a fide, seu qui ad Judæismum, seu Paganismum transiret, esse pariter hæreticum, quia retineret characterem baptismalem; & propterea subjectus esset jurisdictioni Ecclesiæ, & hanc excommunicationem incurreret.

IV. Norandum secundo, quod qui tantum interius est hæreticus, nec signo ullo externo manifestat errorem, aut dubium, quod pertinaciter habet, excommunicationem non incurrat; quia Ecclesia non punit suis censuris actus mere internos, ut diximus in de censuris in genere; secus tamen si signo externo occultissimo hæresim manifestaret.

Dubium est; An qui verbis ambiguus, & æquivocis manifestaret hæresim, excommunicationem incurreret?

Affirmat Bonac. *ex Suar. disp. 4.*, & aliis; quia per verba sufficienter exprimentia internam hæresim manifestat hæresim suam.

V. Quæres secundo; Num possint Episcopi ab hæresi occulta absolvere ex vi facultatis a Trident. illis concessæ *sess. 24. cap. 6.*

Respondeo probabilius esse quod non possint: Etenim ex tertia thesi ab Alex. VII. damnata videtur non obscure colligi, Episcopos vi hujus Bullæ non habere amplius facultatem ipsis a Tridentino concessam absolvendi ab hæresi, atque aliis criminibus in ea Bulla contentis, quando sunt occulta. Scio nonnullos Doctores apud Bonac. de legibus *disp. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 3.* docuisse universim decreto Trident. nunquam ceteri derogatum, nisi quando expressa ejusdem Concilii, vel saltem Conciliorum Ge-

neralium fit mentio ; praesertim quia Gloss. in leg. 2. §. legati ff. de re vendicata ait, Clausulam generalem privilegiorum non se extendere ad privilegia inserta in corpore juris . Verum Recentiores communius docent, decretis Trident. sufficienter censerit derogatum per clausulam illam generalem , Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis , & quibusvis Concilii decretis , quod in Bulla Cœnæ habetur . Sed hac de re fusius diximus in Trutina exponendo thesim commemoratam .

VI. Quæres tertio ; Quinam dicantur Schismatici ?

Respondeo, cum Schisma idem sit, ac divisio, Schismatici dicuntur , qui divisi sunt a Pontifice per inobedientiam rebellem, ac pertinacem : Ubi adverte, quod si non recognoscant ipsum pro Capite Ecclesiæ habente plenam potestatem, sunt Schismatici simul, & hæretici ; Si vero ipsum ut Ecclesiæ caput recognoscant, sed pertinaciter illi inobediant, sunt pure Schismatici, hoc est membra a suo capite separata ; & hac excommunicatione feriuntur, ut videre est apud Bellarm. , & Navar. cap. 27. n. 57. Dicuntur autem pertinaciter inobedire, qui scientes hoc, vel illud esse mandatum Pontificis, nolunt tamen illi obedire, non quia præceptum est difficile, sed quia volunt se omnino subtrahere ab obedientia Papæ, quamvis illum vere caput Ecclesiæ cognoscant ; debet tamen tale Schisma verbis, vel factis exterius manifestari .

VII. Quæres quarto ; Quinam dicantur credentes hæreticorum, receptatores, fautores, & defensores ?

Respondeo ; Dicuntur primo Credentes hæreticorum ex Bellarm. qui quamvis non habeant expresse, habent tamen implicite errores hæreticorum, & exterius eos profitentur : Verbi gratia, qui diceret, Credo quod

credit Calvinus, vel qui diceret, Calvinus fuit vir bonus, & injuste ab Ecclesia damnatus : Sicut enim multi rustici dicuntur Credentes Ecclesiæ Catholicæ, quia dicunt se credere, quod credit Ecclesia, ita qui dicit se credere quod credunt hæretici, dicitur credens hæreticorum, quamvis ad particulares articulos non descendat .

Secundo dicuntur Receptatores hæreticorum, qui receptant, vel occultant hæreticos, ( etiamsi semel id faciant ) non hospitii gratia, sed ne in manus Judicum veniant, & ut penas in hæreticos latas devitent ; unde ex Bellarm. qui hæreticum recipit, & occultat, ne occidatur a latrone, immo ne capiatur a iudice ob causam homicidii, vel alterius criminis ab hæresi, hanc excommunicationem non incurrit .

Tertio dicuntur fautores, qui vel omissione, vel commissione favent hæreticis in causa hæresis . Favent quidem omissione, qui omittunt facere, quod tenentur ; Verbi gratia, si ii, ad quos ex officio pertinet, non inquirant, non incarcerent, non puniant . Favent commissione, qui in ordine ad hæresim verbis, aut scriptis, aut factis favent illis ; ut si quis dicat, Isti hæretici non sunt bene damnati ; vel si quis det consilium, aut præstet opem, ut fugiant .

Quarto dicuntur Defensores, qui suis viribus, ac potentia efficiunt, ne hæretici in manus Judicum veniant, aut ne puniantur, ne excommunicentur nominatim, &c. Immo qui patrocinium iis in causa hæresis præstaret advocando pro illis ; necnon Notarius, qui scienter pro iis suum ministerium præberet . Ita Bellarm.

Quid si hæreticum receptes, faveas, defendas, non quia est hæreticus, sed quia amicus, consanguineus, &c. ?

Respondeo, si id facias in causa hæresis, procul dubio excommunicationem

nem incurres ; nam non requiritur , ut ea facias ex eo motivo , quia hæreticus est , sed satis est , quod ea facias in causa hæresis , etiamsi ex motivo amicitia . Debet tamen effectus sequi , ut incuratur excommunicatio ; Quare si Titius occultet hæreticum , ne incarceretur , & tamen deinde incarceretur , non incurrit Titius excommunicationem ex Bonac . ; quia effectus non est secutus , sicut mandans percussorem Clerici excommunicationem non incurrit , si percussio non sequatur .

VIII. Quæritur quinto ; Quinam hæreticorum libri per Bullam Cœnæ prohibentur legi , retineri , imprimi , defendi ?

Respondeo , Libros dumtaxat hæreticorum , qui vel hæresim contineant , vel de religione tractent , ad casum hujus Bullæ pertinere . Dicuntur autem de religione tractare , qui ex professo , & non obiter tractant de re sacra , Verbi gratia , de Sacra Scriptura , de Articulis fidei , de rebus ad cultum Dei , & Sanctorum spectantibus . Quare qui alios hæreticorum legit , aut retinet , non incurrit excommunicationem in Bulla Cœnæ reservatam . Quamvis excommunicationem non reservatam incurrat ; non secus ac qui legit , aut retinet libros cujusvis alterius auctoris non hæretici damnatos , atque prohibitos ob suspicionem hæresis , aut falsi dogmatis ; ut habetur in Regul. 10. Indicis librorum prohibitorum . Quod si libri non sint prohibiti ob hæresim , vel falsi dogmatis suspicionem , sed ex alio titulo , nulla incurritur excommunicatio ab eo , qui eos legit , vel retinet , modo non sint libri hæreticorum . Et ratio est , quia excommunicatio non incurritur , nisi sit in jure expressa ; exprimitur tamen a Sixto V. quod sub excommunicatione reservata prohibeantur libri Astrologiæ judiciariæ .

Ex dictis sequitur primo , Excommunicationem nulli reservatam incurtere illos , qui legunt , aut retinent libros , & scripta necromantiæ , seu continentia divinationes , sortilegia , veneficia , auguria , auspicia , & incantationes artis magicæ , quibus traditur modus recedendi a fide catholica , adorandi dæmones , & similia contraria fidei ; quia tales libri in Regula 9. Indicis prohibentur ob hæresim , vel saltem ob falsi dogmatis suspicionem . Quod si hujusmodi libri sint hæreticorum , ( ut communiter sunt Auctores necromantiæ ) excommunicatio , quæ incurritur a legentibus , aut retinentibus est reservata in Bulla Cœnæ ; quia sunt libri hæreticorum hæresim continentes .

Sequitur secundo , quod qui legit libros catholicorum vetitos , eo quod excitent ad veneream delectationem , peccet quidem graviter , sed nullam excommunicationem incurrat ; quia non legit libros hæreticorum , nec prohibitos ob hæresim , aut falsi dogmatis suspicionem , sed prohibitos ob periculum succumbendi venereæ voluptati .

Sequitur tertio , quod legens Scholia , & Additiones hæreticorum , quæ continentur in libris catholicorum , incurrit excommunicationem nulli reservatam ; quia legit libros damnatos ob hæresim , aut falsi dogmatis suspicionem , ut dicitur in Regula 10. Indicis . Quod si hujusmodi scholia sint adeo copiosa , ut superent ipsum textum , Suar. apud Bonac. hic putat , legentem incurtere in excommunicationem in Bulla Cœnæ ; quia talis liber potius est hæretici commentantis , quam Catholici ; quod tamen negat Bonac . ; non enim Summa , verbi gratia D. Th. , dicitur esse liber Cajetani , quamvis annotationes Cajetani superent textum D. Th.

IX. Dubium est hic primo ; An ex-

com-

communicationem dictam incurrat, qui legit non intelligendo ea, quæ legit, ut legit imperitus talis linguæ. Et idem quæritur de retinente libros, quos intelligere non potest, ut sunt vendentes thus, & odores, & quicquid chartis amicitur inunctis?

Respondet affirmative Bonac. hic; cum enim hæresis facile serpat, merito prohibetur etiam lectio materialis, quæ potest nocere audientibus, necnon qualiscumque retentio talium librorum, cum possit aliis pariter nocere: Sanch. tamen lib. 2. cap. 10. n. 51. verius excusat sic legentem, aut retinentem; cum in tali casu finis legis videatur omnino cessare.

Dubium est secundo; An in lectione, & retentione talium librorum detur parvitas materiæ?

Respondeo, Tolet., & alios apud Bonac. negare; quia etiam per lectionem unius, aut alterius lineæ potest error hauriri. Communior tamen sententia affirmat; quia nulla est ratio, quare sicut in aliis materiis, ita in hac non detur materiæ parvitas; quamvis enim aliquando possit hæresis in una, vel altera linea contineri; at hoc raro accidit; leges autem, præsertim pœnales, spectare debent, quod plerumque, & regulariter, non quod aliquando accidit. Quare Reginald. excusat, qui tres, vel quatuor lineas legit, etiamsi contineant hæresim, quia non statim ac propositionem hæreticalem quis legit, exponit se periculo imbibendi illam, nisi etiam fundamenta, & rationes percurrat. Sayr. excusat legentem decem lineas, & Sanch. cap. 10. legentem integram paginam: Quamvis Dian. in Sum. V. *Hæreticorum libri*, sententiam hanc putet parum probabilem; siquidem Sæ idem docens expurgatus fuit. Quoad retentionem Sanch. putat contra Suar., moram duorum dierum esse levem: Quamvis autem aliquis retineret li-

brum prohibitum per levem moram animo retinendi diutius, non idcirco excommunicationem incurreret, licet graviter peccaret; quia, ut alias diximus, opus externum de se debet esse grave, ut censura incurratur.

Dubium est tertio; An excommunicationem incurrat audiens legentem huiusmodi libros, vel mandans, aut consulens talem lectionem?

Respondeo, universim censuram hanc in facientes non incurri a mandantibus, & consulentibus, nisi exprimentur: Quare si Titius mandat Cajo, ut legat libros prohibitos, Titius non incurrit excommunicationem. Quod si Titius mandat Cajo, ut sibi audienti legat, communior sententia cum Laym., Azor., & aliis docet, excommunicationem a Titio etiam incurri; tum quia legens per alium moraliter ipse legit, ex *Regula illa juris in 6. Qui per alium facit, per se ipsum facere censetur*; tum etiam quia esset quasi frustranea lex non legendi tales libros, si non prohiberet lectionem etiam per alios factam. Multi tamen probabiliter docent, quod neque in tali casu Titius excommunicationem incurreret; tum quia universim censura lata in facientes non incurritur a mandantibus; tum etiam quia lex sufficienter vitat lectionem librorum prohibitorum, dum solum prohibet, ne legantur: nam qui coram aliis legeret, vel non habet facultatem legendi, & sic ne incurrat excommunicationem, non legeret; vel habet facultatem, & consequenter, cum esset proinde vir prudens, non facile tales libros legeret coram audientibus non probis.

Dubium est quarto; An habens librum hæreticum possit illum comburere, an debeat Inquisitoribus tradere?

Respondeo, non solum prohiberi retentionem talis libri etiam apud alios

lios tam nomine proprio, quam nomine alterius, sed etiam præcipi, quod tradatur Inquisitoribus in quodam motu Julii III. incipientis, *Cum meditatio*. Ita Sanch., Azor. Verum Filliuc., & alii apud Bonac. excusant eum, qui propria auctoritate combureret, aut traderet iis, qui facultatem habent legendi tales libros; Dato tamen, quod juxta priorem sententiam peccaret, certe excommunicationem non incurreret, qui talem librum combureret.

X. Dubium est quinto; Quinam possit concedere facultatem legendi libros prohibitos?

Respondeo, libros prohibitos in Bulla Cœnæ legi non posse nisi de Pontificis facultate, ut constat ex ipsa Bulla; unde solum in casu magnæ necessitatis potest ab Episcopo, aut Inquisitore talis licentia concedi: Ex decreto tamen Urban. VIII., quod incipit, *Apostolatus*, præter Pontificem potest etiam Congregatio Sancti Officii facultatem concedere legendi libros tam in Bulla Cœnæ, quam in Indice expurgatorio prohibitos; Ante tale decretum poterant Episcopi, Inquisitores, & Generales religionum suis subditis facultatem concedere legendi libros in Indice vetitos; Quod autem amplius nequeant etiam Privilegiarii hujusmodi facultatem suis subditis concedere, docent communius contra nonnullos, ut diximus in Trutina exponentes thesim 45. ab Alex. VII. proscriptam.

## ARTICULUS II.

Perstringuntur reliquæ excommunicationes in Bulla Cœnæ.

- I. Excommunicantur deinde Appellantes ad futurum Generale Concilium.
- II. Pariter Pirata depraedantes Christianos navigantes mare Ecclesiasticum.

III. Necnon surripientes bona naufragantium Christianorum, non tamen Hæreticorum.

IV. Item imponentes Pedagia, & Gabbellas. Et quidem etiam Principes Supremi, si injuste illas imponant; possuntque ex multiplici capite injustitiam continere. Collectæ ab Universitatibus imponi possunt, non tamen a Principibus.

V. Falsarii etiam literarum Apostolicarum.

VI. Et qui arma, & alia hujusmodi deferunt ad Infideles in perniciem Catholicorum.

VII. Impedientes, ne victualia, & alia Romane Curie necessaria ad eam adducantur, idque sine causa legitima. Quid autem venit nomine Curie Romanae?

VIII. Vexantes eos, qui ad Sedem Apostolicam ob causas ad illam pertinentes accedunt; & qui jurisdictionem sibi vindicant adversus commorantes in Romana Curia.

IX. Necnon vexantes Romipetas, qui ad Urbem principaliter causa devotionis accedunt.

X. Qui vexant Cardinales, Episcopos, Nuncios, &c., & qui Episcopos a suis Diocesis expellunt; necnon mandantes, ratum habentes, ac favorem, consilium, auxilium interponentes.

XI. Molestantes, qui ad Romanam Curiam pro suis negotiis recurrunt.

XII. Pariter qui frivolum appellationem prætexendo ab Ecclesiastica ad Curiam Secularem confugiunt, & literas Hortatorias, quæ potius sint comminatoria, procurant.

XIII. Qui prætextu exemptionum causas Spirituales, Beneficiales, decimarum, &c. a Judicibus Ecclesiasticis ad se advocant; sive etiam prætextu violentiæ prohibenda.

XIV. Item qui ex prætenso officio Personas Ecclesiasticas ad seculare Tribunal